habenda sit. Illud quoque, quod me magnum praejudicium est, quod ille multos annos in tua disciplina fuit, ut nihil ferè incredibile videatur. Utut est, si tibi consultum videatur, hunc mihi quamprimum extrude; aut certè, si quae causae obsunt, alium aliquem, in quo illae sint dotes, quas in Reutero inesse praedicat Calaminus. Majorem in modum abs te peto, mi Ursine, ut hanc mihi rem perquam diligenter cures. Intra hoc biennium, si vivens, ubi ubi fueris, ad te mittam filium meum, ut te colat, amet, audiat, et dignum tanto Magistro discipulum se praestet. Nullum ei patrimonium, nullas opes, sat scio, praestabiliores relinquere possum. De tua voluntate ne quid dubitem, facit existimatio mea de tua pietate, aliisque virtutibus, quare praedicationem jam ab aliquot annis circumsonant aures meae. Vicissim ego breviter amicitiam atque officia mea tibi defero, et dico atque addico. Omnia in te amicissimi hominis, inque tuos, si usus veniet, officia mea constabunt. Rogo te, ut de istius schola atque Ecclesiae statu me uberius edoceas. D. Zanchium, D. Tossanum, D. Sterium et alios collegas tuos à me plurimum salutabis. Vale et feliciter vive cum tuis. Vratislaviae 28. Decembris 1579.

Exc. V. deditissimus
Andr. Dudithius Caes: Maj: Consiliarius.

Responsoria D. Ursini continebat ista verba: Opinionem quam Ampl. T. de me concepit, deprecor, et ut deponat, oro. Quirinum mittimus, quem non commendo; commendabit seipsum, quod ex ipsius anteacta vita mihi persuasi. etc.

Exc.me et Chariss: Vir, Domine, atque amice honor. et Charissime S. P. 318)

Si dicam Epla tua quam mihi grata acciderit vix credas. Persuasum tamen esse tibi cupio gratissimam eam fuisse, hoc quidem nomine, quod video te mihi veterem benevolentiam conservare. Ex quo equidem magnam animi voluptatem capio. Illud mihi dolorem attulit, quod tam afflictas res tuas esse significas, ut etiam de mutatione cogites. Quod sane miserum esset, ac magna patriae tuae infamia, ut mihi videtur conjunctum; quae te talem, tantumque virum honorificè alere aut non potuerit, aut quod longe turpius est, noluerit. Si

Si tamen esset in manu mea te tuosq; sublevare, quam in optatis habeo, ut omnia tibi ex voluntate fluant, perbeatus esses, sed vides aut potius audivisti, ex nostro illo quem nominas quis sit meam integritatem summam fidem gravissimos labores, non vulgarem in adeundis sustinendisq; periculis constantiam, cui consequutus. Etsi perfectum e diligentia ac studio amicissimi nostri D. Ec. ut non pessimo loco res nostrae futurae sint. fuissent longe meliore si mens non laeva fuisset. Verum de meis rebus satis superq; dictum e. Tuas bono loco constituere posset Illu. D. Rosenbergius pro summa sua gratia, et, et quâ, magno suo merito, pollet authoritate apud Sacram Caes. Mtem etc. Filiolum tuum vidi et complexus sum, illud animo volvens, cum eum aspicerem, et de te cogitarem, et de te cogitarem; Disce puer virtutem ex patre tuo, verumq; laborem; fortunam ex illis alvis. Optima videtur esse indole, atq; ingenio vivido. Deum peto ut te dignum se praestet, tanti patris filium. Aveo scire omnia certa, de illo altero quem in Anglia bonis literis operam navare memini, cum mihi diceres, illo die, qui mihi jucundus illuxerat, quod totum eam, istu me cum transegeris. Sororis tuae filium tua causa complectar majore etiam benevolentia; et tuo exemplo ad virtutem saepe cohortabor. Witichium amare coepi; ille item à consuetudine mea non videtur abhorrere. Magna sunt quae de eo praedicas, Cupio scire quae fuerit inter vos et Praetorium meum controversia, et quem finem habuerit. Cometam meum vidisse te non dubito; modo ne stomachum moverit. Ignosce ineptiis. ineptior fuit amicus quidam meus, qui edendas illas nugas curaverit. Vale mi praestantissime Dn. Taddaee, meq; ama

Pasc a 12 8bris. A° 1579

3191

Excme Domine Doctor, Domine et amice honorme S. P.

Ad humanissimas tuas literas jam pridem ad me scriptas, statim respondi. Cupio scire, an reddita fuerit Epla mea. Multos de te, tuaq; plane singulari, ideoq; etiam multo magis amabili integritate, ac bonitate, sermones conferre indies cum D. Witichio solemus. Utinam prope aut una omnes habitaremus, aut mihi certe aliqua daretur testificandae meae praeclarae in te tuosq; voluntatis, amorisq; occasio. Rogo te, ut de te ipso rerumq; tuarum statu imprimis

numquid